2 A A L

Ad Augustissimum Monarcham,

JACOBVM I.

MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIAE & HIBERNIAE REGEM TER MAXIMUM & INVICTISSIMUM,

in SCOTIAM feliciter redeuntem, fausta *Acclamatio.*

Auctore IOANNE GELLIO à Gellistoun, *Philosoph. & Med. D.*

EDINBURGI,
Excudebat THOMAS FINLASON, Typographus
REG. MAJEST. 1617.

Parua, MONARCHA, *fero: quantus sed si unde pro-*
Cultus, tanta putas, MAXIME, *magna fero.* [*fecta*

Auguſtiſſimo Monarchæ,

IACOBO I. MAGNÆ BRITANNIAE, FRANCIAE, ET HIBERNIÆ REGI TER MAXIMO,

& invictiſſimo, Fidei Defenſori &c. S.D.

MVSEVM BRITANNICVM

JOANNES GELLIVS á Gelliſtoun, phil. & Med. D.

APUD *PERSAS* OBTInuit olim (REX optime, maxime,) ut Regem ſinguli, quacunque proficiſceretur, munere aliquo ſalutarent: at illud non pretio ſanè, ſed offerentis animo ſpectabatur. Sic ARTAXERXES, *Cyri* aquis a quodam donatus, etiam vile munuſculum æquiboniq; conſuluit. Hanc ego & laudabilem conſuetudinem imitatus; & tibi non minorem certè, at majorem utiq; multò humanitatem, ac clementiam eſſe perſuaſus; cùm, quo M^m. T^m. donare in præſentia poſſim, haud quicquam habeam præſtantius; hoc ipſum, quantulumcunq; eſt, offerre non ſuſtinui. Parvum quidem fateor, ſi ex ſuâ, minimum etiam ſi ex tua dignitate ſpectetur: at, ſi quod apud te illi ab offerentis animo momentum erit, profectò maximum. Et quanquam deterrere ab hoc inſtituto jure multa poterant: Cum M. T. ſplendor, & in ſupremâ hâc fortunâ, ſumma eruditio; tum ingenii mei con-

con-

ſcia tenuitas: ſcio enim nihil hîc tuâ Celſitudine dignum, & tam humili Poëmatio, quod inter ægros, ægro, invitoq; *Apolline*, effudi, deprecandam potius veniam, quàm expectandam gratiam. Ad meliorem tamen ſpem certa humanitatis tuæ fiducia erexit, & ad officium excitauit etiam ea cogitatio, quòd turpe videbatur in hac publicâ geſtientium bonorum civium lætitiâ, non aliquam privati gaudii ſignificationem dare. Quare famam illi M. *Catonis* reprehenſioni, cum *A. Albino* non veritus objicere, ſatius habui culpam deprecari, quam culpâ vacare; maluiq; tibi non bonus poeta, quã malus civis videri. Atq; cum hæc per ſe ſatis eſſet, magna etiam acceſſio facta eſt, illorũ impulſu, quorum ut precibus aliquid concedere æquiſſimum fuit, ita auctoritati nihil denegare veteris diſciplinæ ratio paſſa eſt: quanquam fœtus hic, ut parentis jam nixibus editus erat, & inter cruciatus tantum non miſer extinctus, velut ſpurius ab alumnis projectus eſt. Non dubito tamen (Rex optime) quin expoſititium hunc partum, tu (quæ naturæ tuæ eſt ingenita bonitas, quámq; ipſe hactenus prolixam ſanè expertus ſum) tollere non grauaturus ſis, ſed locum etiam ei aliquem inter alumnos illos præbiturus: atque eò magis, quòd cum illi nutritio etiam patre exultent, & vel ipſo numero tuti, tanquam milites inſtructâ acie procedant; hic unicus, ab omni ope relictus, te ſolum agniturus ſit parentem. Vale Rex invictiſſime, inter omnes optime, inter optimos maxime, & inter utroſq; doctiſſime: Deusq; faxit, ut qui tibi nunc gratulamur reduci, te diu lætemur incolumi.

Ad Augustissimum Monarcham

JACOBVM I.

MAGNÆ BRITANNIÆ FRANCIAE & HIBERNIAE REGEM TER MAXIMUM & INVICTISSIMUM,

in SCOTIAM fœliciter redeuntem, fausta

Acclamatio.

Auctore IOANNE GELLIO à Gelliſtoun,
Philoſoph. & Med. D.

ANGLIA *parce, tuis ſi lætis* SCOTIA *rebus*
Invidet, alterius non ullius æmula gentis
Fortunæ, contenta ſuæ: ſic cedere voto
Cuncta tibi ſoli, tetrico videt anxia vultu
Vultus quæ Domini communis dura negaſti (*tu,*
Optatos, placidoq; frui non hactenus ore
Paſſa es. Nempe tuas poſtquam regnator ad oras
Venit, & imperio junxit nova ſceptra paterno,
Non ſedem mutare datum, non inde relicti

Viſere rura ſoli: tu gaudia noſtra tot annos,
Deliciæ, plauſuq; omnes, ſolamen, amores
Sola rapis, tu ſola Patrem cum Conjuge Natum
Sola tenes; unamq; penes te tota Britannæ
Spes reſidet gentis, decus, & fiducia: verum
Sic te talis heri captam dulcedine, nunquam
Mirer, at invideo domini præſentia ſemper
Ora tibi, ſacrosq; aditus, vultusq; verendos.
Sis opibus fœlix, fulvo fœcunda metallo;
Indicus aurifero currat tibi gurgite Ganges,
Heſperiuſq; Tagus, Pactolus, Lydus, & Hermus,
Siquis & auriferis eſt deſpumans alter arena
Nobilis amnis aquas; his gazis, viribus impar,
Non (ait) invideo: potius ſucceſſibus iſtis
Læter vicinas ſupra caput altius omnes
Tollere te gentes, mea ſi ſolatia reddas.
Ergo illum, ſi juſta peto, ſine viſere tandem
Ah patrios non dura lares, & rurſus avito
Tot poſt annorum gyros conſidere regno.
Triſtia ſic æquis animis hæc damna feremus
Temporis elapſi, modo ne diſpendia creſcant
Amplius, & domini vultus querar eſſe negatos
Vlterius deſerta mihi, ſine quæſo redire
Huc tandem non triſtis herum; ſic libera curis
Creſcas, & nulli fias imitabilis orbe.
Non adeo ſiquidem gratus frigentibus ignis,
Non ſopor inſomni, non fons ſitientibus ægris,
Portus jactatis a tempeſtate carinis,
Exoptata mei quam ſunt mihi principis ora.
Heu quando lux illa polo gratiſſima ſurget?

Quando

Quando illo præſente fruar, quem luſa tot annos
Expecto fruſtra nimium mea vota morantem.
Acrius abſentem ſuſpiro, & tempore tanto
Diſcrucior properare nihil, tot mollibus illum
Excitum precibus: veluti ſit gratia noſtri
Vilis ei, penituſq́ domos & mœnia noſtra
Deſpiciat lentus, nolitque videre ſuorum
Obſequia, & cultus, devotaq́ pectora noſſe.
Ergone ſic noſtras Rex invictiſſime ſedes
Temnis, & inviſæ natalis pœnitet oræ;
Nec luctu lachrymiſq́ meis, precibusq́, querelis
Flecteris, & nullis poteris manſueſcere votis:
Sed ſtat acerba nimis firma hæc ſententia mente,
Poſthabitis noſtris, ſociis conſiſtere terris?
Splendida ſcene tibi molli placet ANGLIA *luxu,*
Deliciis, opibusq́ ſuis, ſordeſcat ut vltro
SCOTIA, *proh alias habitata adamataq́ tellus!*
Non hæc pacta fides, non hæc promiſſa, parares
Cum ſocij, noſtris excedere finibus, hæres
Regni, & triſte vale linquendæ abiturus amanti
Proferres patriæ: his noſtrum lenire dolorem
Te memini, æterno fixum ſub pectore ſeruans.
Cum mea jam populi veniant ſub jura remoti,
[*Aſpirante* DEO, *nec enim ſine Numine nobis*
Talia contingunt, ejus qui temperat orbem]
Adq́ alios nos fata vocent promiſſa penates;
En molimur iter, nec enim confidere fas eſt
Porro diu, & celeri longe tua limina curſu
SCOTIA, *linquentes,* ANGLAS *meditamur ad oras:*
Ne, rogo, ſors mentes tamen hæc mutata tuorum,

[O nimium gens cara mihi, gens fidaq; ſemper]
Perturbet, violetq; graui pia pectora luctu.
Non, ſi cauſa placet, nunc eueniſſe dolendum
Ante quod optares contingere, quam foret ipſum.
Sic ſuadent meliora: tamen non immemor vnquam
Veſtri, ſuſceptam ponam de pectore curam.
Teſtis erit, vos quaq; ſemel trieteride demum
Inviſam (ſi vita manet, ſi fata valentem
Seruent) inq; iſtis ſiſtar non impiger oris.
His mihi tentabas tum curam demere dictis,
Creuit at inde magis, poſtquam non tempora vidi
Reſpondere tuis intercedentia pactis.
Bis binas binis junctis trieteridas annis
Expleuit Titan, ex quo digreſſus ab iſtis
Finibus, Anglorum in terris ſine fine moraris:
Nec piget, infandis ſed ſaucia pectora curis
Deſtituis, triſteſq; mora fruſtraris amantes.
Aut deſpecta, tui patior faſtidia vultus
Torva, vel in rapidos abierunt irrita ventos
Fœdera, promiſſi ſubeuntq; obliuia pacti,
Aut aliquis teneros languor grauis occupat artus.
[Peßima ſemper amor metuit, malus augur in arctis
Rebus amor, ſemperq; timet qui diligit omnis,
Quodq; cupit, cupit ante oculos atq; ora tenere]
Quamuis iſta tuis haud quadrant moribus, ingens
Quæ ſecum ſic verſat amor: non mitior ullus.
Deſpicis haud quenquam, niſi dignum ſponte relinqui;
Nec tibi ſincero ſimulata in pectore mens eſt,
Aut animi ſenſis ſermo contrarius oris:
Sed ſtabili ſtant pacta fide; non ludis inani

prom-

Promiſſo quenquam, ſua ſed ſunt pondera verbis
Indubitata tuis, nec eges ſponſore timendus.
Quinetiam noſtras ſi vera allabitur aures
Fama, vales, valeaſq́ diu bene, numina poſco.
Aut venies mox ergo, lares patrioſq́ reuiſes
Ocyus, aut certe ſuberit juſtißima tantæ
Cauſa moræ, grauiumq́ ſinent non ponderа rerum.
Ergo ſi precibus locus eſt, ſupereſtq́ popelli
Si quæ cura tui, nec adhuc DEVS *obſtruit aures,*
Aſpice nos, hoc tantum, & ſi pietate meremur,
Rumpe moras, nobiſq́ ſtatim non ſegniter adfis,
Antiquaſq́ domos, veteriſq́ Palatia regni
Viſe redux, lætoq́ tuos mox reſpice vultu.
Per lachrymas noſtras, per qui genuere parentes,
Per Patriam, Genium, per vincla jugalia, perq́
Pignora cara, mage eſt per ſi quid dulce, rogamus,
Ne te in venturas differ porro amplius horas.
Perge, celerq́ veni, nec te jam ſubtrahe genti,
Quæ ſtetit imperio ſemper, ſemperq́ manebit
Fida tuo, nulloq́ vnquam mutabilis ævo.
Hæc inter, ſubito gratus mihi nuncius adfert
Adventare brevi, jam jamq́ ad limina regni
Te patrij penetrare tui; non inſuper oras
Exprobratum iri nobis te temnere SCOTAS.
Dumq́ rogo dubitans velit ut mihi vera fateri,
Per ſacra verba fidem meruit juratus. at indo
Rumor it, & circum late loca cuncta pererrat
Fama volans, varioq́ ingens eſt orta tumultu
Lætitia; ad cœlum magno certamine clamor
Tollitur, & totus reſonat clangoribus æther:

Vndiq; collecti concurrunt agmine denſo,
Læti omnes redituq; tuo, & te ſoſpite læti:
E pagis, villisq; ruunt, urbesq; relinquunt
Patricij, proceres, quorumq; ab origine clarum
Nobilitate genus, tum miſta abſq; ordine plebes,
Lætitia violante modum, matresq;, viriq;,
Atq; ſenes, juvenesq;, vias & compita curſu
Confuſo complent, avidi contingere dextram
Regis, heriq; ſui: veniamq; ab amore merentur.
Quaq; venis per rura, fauens turba obuia paſſim
Advolat, & varios capiunt in pectore motus.
Proſpiciunt venientem a vide, plauſuq; propinquum
Poplite ſubmiſſo excipiunt, cupidisq; ſequuntur
Prætereuntem oculis, preſſo & veſtigia greſſu
Obſeruant, comitesq; tuis ſe paſſibus addunt.
Dum poſſunt, ſpectare juvat, nequeuntq; tuendo
Expleri; creſcitq; tuo prior ardor ab ore.
Aſt ubi jam portis ſubiens ſucceſſeris vrbi,
Tunc nullus non ordo hominum, non sexus, & ætas
Te reducem ſpectare volet, quin omnia plena
Agminibus, cuneisq; virum, qua ſplendidus ibis
Cernere erit, non ima ſoli, non alta domorum
Culmina, non ullæ ſine ſpectatore feneſtræ.
O quæ tunc lætas pertentent gaudia mentes!
O quantus nitidum ſe tollat ad æthera clamor,
Salve magne pater Patriæ, Dis proxime Princeps,
Expectate venis; nobis te Numina ſervent
Sancta diu, & multos faciant ſupereſſe per annos!
Inſuper & feſti inſolitis fulgoribus ignes
Vrbe crepant tota, volitantq; incendia paſſim;

Flam-

Flammaq; candentis Phœbi Vulcania lucem
Iincit, & ingentes detorquent æuea ab alto
Sulphureas tremulo maſſas tormenta fragore:
Tecta tremunt, pauidiq; queunt non ſtare tumultu
Cornipedes, ſubitamq; poli quoq; pene ruinam
Formidant, ſæuo velut ut cum fulmine mundum
Concutit iratus, tremebundaq; murmura miſcet
Jupiter, & cœlum ac terras terroribus implet.
Non mihi Pierides ſi Helicon queis diffluit undas,
Indulgere velint; non, hæc ſi præſide dictem
Phœmonoe Heroo cecinit quæ carmina vates
Prima, nec & totus mentiar ſub pectore Phœbus,
Iſta CALEDONIAM *quantum ſpectacula gentem*
Exhilarent, quantosq; dies gratiſſima plauſus
Excitet iſta, queam digne fatis uſq; referre.
Haud ſecus ac genitor cum longo errore viarum
Scrutatur terras vario ſub ſole remotas;
Multa diu natos redeuntis auara parentis
Spes tenet, & cupidos trahit expectatio votis
Anxia ſolicitis: trepidat formidine conjunx
Sola relicta toro, cunctoſq; alicunde reuerſos
Inquirit ſolers, cum nunc rumore finiſtro
Naufragus in mediis effuſus creditur undis,
Nunc ſupereſſe neci, & veſci vitalibus auris.
Spemq; metumq; inter dubiis redit ille. volantque
Adverſum nati, & genibus clamore volutant.
Accurrens collo circundare brachia conjunx
Exanimata cadit, vocq; intercepta ſalutem
Lætitia negat. ecce tuis ſic talia paſsis
Deſunt verba, tamen teſtantur gaudia vultus.

Aut quales

Aut quales dulci cum nido ſedula mater,
Matura jam luce die, tenebriſq́ fugatis,
Ales abit, Cereriſq́ errans circum volat arua,
Dum ſero, Heſperias Phœbo labente ſub undas
Paſta redit, pleno & miſeris fert pabula roſtro:
Jejuni aſſiliunt pulli, ludunt́q reverſæ
Quaſſantes teneras repetito verbere pennas;
Ac ſe certatim læto conamine trudunt
Qui primus matris redeuntis pignus amoris
Ore ferat, reduciq́ hilares ſua colla ſubaptant,
Gratáq́ compoſitis delibant oſcula roſtris.
Excipit haud aliv reducem te SCOTIA *plauſu.*
Ac merito. præter nam qnod ſub luminis auras
Prodieris primum hic, & lucem videris infans,
Et tua felicem hanc faciant cunabula gentem;
Non cuiquam meliore regi, non contigit ulli
Imperiumq́ pati felicius. ecquis in orbe eſt,
Tecum qui quovis valeat contendere? nullus
Moribus, ingenio, virtuteq́; ſtemmate, sceptro,
Par fuit, aut fuerit, poterit vel & eſſe ſecundus.
A genere & proavis quæras encomia? longo
Continuoq́ tibi veniunt diademata filo.
Innumeros tibi ponet avos Ferguſius auctor
Stemmatis; imperio quorum jam SCOTIA *paret*
Luſtra quater centum: hos ſequeris non ordine rupto.
Tu cui jam titulis cenſeri & ſanguine prodeſt
Majorum, tua num tot pictos atria vultus
Perpetua oſtendent ſerie? ſic ſemper avita
Sceptra nepos poſt ſe venturo tradidit, ut ſis
Ordine poſt tot avos, hæres, & ſecula, regni, et

Linea

Linea ſit fatis nunquam interrupta, nec armis?
Stemmate victor abis. valeant ſed ſtemmata: ſceptro
Certatur? nec & his venit æquiparabilis ullus
Magne IACOBE *tibi: tibi ſumma potentia ceſſit*
Et maris, & terræ, ſoluſq; tridentifer undas
Imperio, nutuq; quatis, velut alter in orbe
Neptunus, ſoloq; minor IOVE, *celſior omni*
Qui leges, moreſq; viris, qui mœnia ponit,
Qua patet, eſt quicquid poſitum ſub limine vaſti
Orbis, Agenorea impoſuit cui filia nomen.
Non tu vulgari Heroum de ſorte pudendus
Regulus, & fine re, ſoloq; es nomine Princeps:
Pulchra corona triplex ſed cingit gemmea crinem,
Et ditione tenes tria regna potentia, quorum
Efficiant magnos ſeorſim vel ſingula reges.
Vnica, romani potuit quæ ſiſtere curſum
Imperij, belloq; potens, & neſcia vinci,
Felicem, gens SCOTA, *tuis ſe ducit habenis.*
Armis quæ Gallos domuit, quæ fudit Iberos,
Subdita ſubq; tuis tibi legibus, ANGLIA, *ſeruit.*
Quæq; proterua jugum Domina deflexerat olim,
Inclyta mirandis tibi paret Hibernia rebus.
Parva ſed iſta tuas inter, Rex maxime, laudes:
Sunt majora domi, quam quæ tibi maxima quærit
Sic fortuna foris; puris virtutibus alta
Mens inſtructa, pium cor, doctum Palladis artes
Pectus, & ingenium ſolers, reverentia morum.
Delius ex æquo velut eſt ad utrumq; paratus,
Siue mouere lyram, ſiue arcum tendere neruo:
Sic tibi ſunt docti, ſimul & ſunt principis artes,

Cum IOVE ſuntq́ tuo conjunctæ pectore muſæ.
Non ſimulata cano: ſiquidem monumenta loquuntur
Ingenij fœtura tui, quibus aurea tangis
Sidera, & æthereas fama petis arduus arces.
Siue libet molli fluitantia nectere verſu
Verba, modis citharæ tua carmina Cynthius aptat:
Dicere ſi mavis numeris, ſine lege, ſolutis,
Verbaq́ non clauſo, ſed ſparſo pingere flore,
Eloquium ſtupet ipſe tui Cyllenius oris.
Prædita cum tantis tua ſit mens dotibus; haud es
Supremæ virtutis egens, pietatis at exta
Omnibus exemplar venturo Regibus ævo.
Hac iter eſt ſuperis, hac cælſi lucida cœli
Templa petes: hac hac, non qua velut ante Gigantes,
Alta per Aemonios ſtructos ad ſidera montes,
Moleq́ congeſta per junctum Pelion Oſſæ:
Tu populo pietate prais (a principe vulgus
Pendet; & officio, exemplo quam lege tenetur
Sæpe magis) veramq́ fidem, populoq́ ſequendam
Conſtans ipſe tenes: hinc per tua regna quietus
Numinis eſt cultus, non vi, non carcere, flammis
Obtruſus) placidoq́ tuos per cuncta tenore
Allicis, & duci faciles tua vota ſequuntur.
Quo me muſa rapit? prolixa en pagina verſu
Decurrit, reduci paucis tibi juſſa ſalutem
Mittere; furtivo verum in præconia lapſu
Incautum tua rara trahit, mirandaq́ virtus.
At quanquam externæ eſt virtus non indiga laudis
Diue tua, aſe clara ſatis (ſonat omnis ubiq́
Nomine terra tuo, & famam vaga gloria cœlo

Termi

Terminat, immenſumq́ ingens accedit Olympum)
Sicut Alexandrum tabulis tamen unus Apelles
Pingere, nec præter Lyſippum fingere quiſquam
AEre auſus: ſolo ſic ſunt tua facta Maronis,
Digna, vel Argiui celebrari carmine vatis.
Noſtra manus ſed enim eſt rudis, atq́ indocta referre
Ora per expreſſos, genuinaq́ membra, colores,
Ducere vel ſculpto ſpirantes ære figuras.
De tabula ergo manum præſtat, quàm crimine fœdo
Materiam turpare, nequit quam rite polire:
Eſtq́ tuas ſatius per muta ſilentia laudes
Intactas tranſire, humili quam grandia ſocco
Reddere, ſublimi quæ ſunt referenda cothurno.